

æterno fuerunt, vel non: si secundum, evidens est dari principium aliquod cælorum productiuum, quod nequit vllum esse ex creatis visibilibus principis: neq; enim ex natura cælorum est, vt in hoc, aut illo tēpore, potius quā in anteriori, aut posteriori creetur; si verò primū cōcedis, adhuc euinco dari effectiuum illorum principium, cum enim non sint à se erunt ab alio, cumque illud aliud nō sit cælum, neque vllum aliud corpus, ex iis quæ componunt mundum, erit necessariū Deus.

4. Ratio ex figura.

Quartum medium à figura sumitur, ad quā terra, vel quodlibet aliud est indifferens, exigit enim natura terræ, vt leuiori subsit, seu non sit supra corpus aliud se leuius in eadē linea recta, vel obliqua, per quā descendere possit: licet enim aliqua pars aquæ, vt quæ est in fundo Oceani, sit vicinior centro aliqua parte terræ, vt quæ est in cacumine montis Libani, nulla tamen infertur terræ, vel aquæ violentia, cum talis pars terræ alior non infideat parti aquæ depressiori, cum ergo natura terre figurā hanc non exigat, quā in ipsa videmus, debet assignari causa illā determinans, quæ est Deus.

5. Ratio ex multitudine indiuiduorum, & specierum.

Quintum ex multitudine indiuiduorum petere possumus, cur enim plura sunt indiuidua in vna specie, quā in alia? cur plures leones, quam phœnices? cur plures homines, quā leones? cur maior ferri, quā auri quantitas? imo & idem ex multitudine entium in specie sumptorum probant aliqui; cur enim plures herbarum, quā animalium species? vel cur tot horum, & illarum species, non plures, neque pauciores nisi id in numinis æterni voluntatem refundamus; verū vt ad indiuidua reuertamur, vnde fit, vt tantorum multitudo in speciebus quibusdam, in aliis verò tam pauca reperiatur, nisi quia Deus,

qui omnes species regit, atque conseruat, ita decreuit? Sed hanc materiam aduersus Atheos vigeo. Dic obsecro, impie, vnde fit, vt sis potius hic homo, quā alius? hoc indiuiduum, & non aliud? nunquid à Domino factū est istud? nunquid pauperrimus esse potuisses, nunquid vladus, strabo, mutus, & surdus, vbi tamen diues es, & integra, si non mentis saltem corporis valetudine? Agnosce igitur hæc omnia tibi à Deo Opt. Max. collata fuisse.

Sextum medium in varia graduum intensione constituitur, ad quam multæ res quas cernimus, sunt indifferentes; malo tamen ab existentia sextam rationem petere; etenim cum existentia rerum sit ab alio, postulat aliquod existens à se, vel processum in infinitū: hoc postremū iā iā falsitatis arguimus, & iterum destruemus, igitur ens à se necessariū concedendum est, cuius existentia sit æquæ necessaria, ac eius essentia, eadēque omnino cum illa, vt essentias rerum, quæ dicuntur æternæ veritatis, & immutabiles, prout solam non repugnantiam includunt, ad actum reducat, & existentes faciat, quæ alioquin nihil serunt actū, nisi virtus ipsius causæ potentis illas efficere, vnde theologie creaturam, prout in Deo est, creatricem essentiam appellant.

Ex quibus medijs non desunt, qui concludant istam propositionem, *Deus est*, esse, etiam quoad nos, omnium propositionum, quæ cognoscuntur in alio euidētissimam, atque notissimam, & longè euidētiorē, quā sint istæ. Datur aliqua substantia completa datur materia, & forma substantialis; datur virtus in magnete ad ferrum attractendum, &c.

6. Ratio quia nō est, quod in pluribus rebus vna graduū intensio, magis quā alia reperitur.

7. Ratio ab existentia rerum.

Quomodo propositio hæc, *Deus est*, nota sit.

## RATIO XXV.

*Depromitur ex rebus moralibus.*

SI nulla domus sine patrefamilias, nulla provincia sine principe, nullum regnum sine rege, nullus exercitus sine duce stare potest, quanto minus totus iste mundus ex tot dissidentibus partibus compactus sine aliqua causa vniuersali stare poterit, quæ sit illius gubernatrix? maximè cum totam rerum vniuersitatem ita conseruari, atque perpetuari videamus, vt singula iuxta naturæ exigentiam suo tempore adueniant; vbi sanè tam admirabilem, tamque constantem dispositionem obseruamus, vt ea nullo modo in casum referri possit, sed necessariū in summi numinis providentiam refundi debeat, alioquin enim non semper continuari deberent, quæ videmus, quandoquidem illud quod casu contingit, rarò fieri solet. Profectò satis demerari non possum Atheorum insipientiam, qui, visa re aliqua artefacta, vt columba Tarentini, quæ in medio aëre pèdula conqueſcebat; sphaera Archimedis motus cælestes referente: musca Notimbergensi mensam, & coniuuas circumuolitante, & tandè in manu Domini conqueſcente; horologio varijs rotis compacto cum indice cāpanula in Caroli 5. annulum incluso; Iliade Homerica in nucē posita, & cæteris artefactis bene perspectis, libentissimè faten-

Varia artificia.

tur, & asserunt id casu factum non esse, sed ab ingenioso, & excellenti artifice: & tamen visis rebus naturalibus, quæ in infinitum prope sunt artefactis excellentiores, summum artificem, & rerum omnium naturalium, atque supernaturalium ~~numerosas~~ admittere nolunt; enimvero si columbam Tarentini cum vera columba conferant, profus fateri cogentur vnicum veræ columbæ volatūm tota artificiali columba longè perfectiorē esse, vt iam illius naturalis artificem infinitis partibus Tarentino perfectiorē asserere necesse sit. Quàm stultum, & insanum est cetypum demirari, non vero prototypum. Age verò Athee, solas apes tibi objicio, vt omnia arma deponas: vnde fit, vt suas cellulas non trigonas, non tetragonas, non rotundas, sed exagonas fabricent? nunquid hanc à se, an à Deo reperunt industriam? poterat quidem rotundas efficere, vt capacissimæ essent, quādoquidem figurarum omnium isoperimetrarum rotūda capacissima est: at plurima spatia circulos inter contenta replenda fuissent, ne daretur vacuum; poterant triangulares efformare, præsertim cum figura triangularis nullum spatium replendū relinquat: verū illa est minima inter regulares figuras capacitatatis

Mira de apibus, & cut cellulas faciant cum sex angulis.